

CLXVII.

Anno 1499. feria 4. post festum Pentecostes. Budac.

Vladilaus Rex Vicario Zagrabiensi et Capitulo Časmensi, ut in sensu Decreti Regni Slavoniae propter factum testamenti, matrimonii, dotum et rerum paraphernalium, jurium quartalitorum, perjurii, verberationis, vulnerationis et spoliationis Clericorum et mulierum, et propter illas alias causas, quae prope hanc non essent, in foro spirituali nulla causa tractetur, mandat.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie, Bohemie &c. Fidelibus nostris Venerabilibus Georgio Archidiacono de Bexyn, Vicario ecclesie Zagrabiensis, et Magistro Laurencio Custodi, Canonicoque et locumtenenti Chasmensi, salutem et gratiam. Exponitur nobis in personis fidelium nostrorum Vniuersitatis Nobilium et alterius etiam cuiusvis status et condicionis possessionatorum hominum Regni nostri Sclauonie. Quod licet in decreto Regni nostri id contineatur, vt propter factum testamenti, matrimonii, dotum et rerum parafernalium, Jurium quartalitorum, periurii, verberacionis, vulneracionisque et spoliacionis clericorum et mulierum, et propter illas alias etiam causas, que prope hanc non essent, in foro spirituali nulla causa tractetur. Tamen vos huiusmodi ordinacioni locum dare nolletis; sed indifferenter super omnibus factis et negociis citatorias litigantibus daretis, neque de materia rei geste, vel facte, in litteris ipsis citatoriis, vtrum pertineant ad forum vestrum, nec ne, aliquid specificaretis; ex quo fit, vt sepius ipsi Regnicole nostri, atque etiam coloni ipsorum, per calumpniam litigantium, sicut prefertur, citati. et de materia negotii, pro quibus citati sunt, ignari, in rebusque etiam aliis occupati, in presenciam vestram venire non valentes, per vos propter contumaciam excommunicarentur, et facta huiusmodi excommunicacione non mediocriter pactarentur. Quod cederet in preiudicium dictorum exponencium, et grauamen non modicum. Accepta igitur supplicacione ipsorum exponencium, volentes ea, que generali omnium Regnicolarum nostrorum consensu ordinata sunt, per vos facere obseruari. Mandamus fidelitati vestre serie presencium firmissime, vt a modo vnusquisque vestrum materiam, siue factum, pro quo citacio petitur, ab eo, qui causam mouere intendit, bene rescire et examinare debeat. Et si compererit, quod negocium huiusmodi forum spirituale contigerit, extunc litteras citatorias cum declaracione actionis rem gestam continentis, et non sub dubio, sicut hactenus factum fuisse dicitur, causantibus dare, decernereque debeat.